

*Re Roberto da facoltà, a Guglielmo
Ruffo, di raccogliere l'eredità di
Pietro Ruffo di Sinopoli, suo nipote.*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Re Roberto da facoltà, a Guglielmo
Ruffo, di raccogliere l'eredità di
Pietro Ruffo di Sinopoli, suo nipote.*

1333-09-07

Robertus, Dei gratia rex Ierusalem, et Sicilie, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Folcaquerii, ac Pedemontis comite. Universis presens privilegium inspecturis, tam presentibus, quam futuris. Benemeritis principem providere fidelibus et si gratie plenitudo suadeat obsequiorum quodammodo gratitudo compellit, et dum accedit propter ad largitiones preteritis Petrino Ruffo de Sinopolo, baronis Sinopoli domino fideli nostro, tenente et possidente, immediate, et in capite a nostra curia, de antiquo, pheudo, Castrum Sinopoli, sub servitio duorum militum, et Castrum Sancte Christine sub servitio dimidii militis, rebus humanis abdicto, et per illius usque obitum, absque prole legitima, tam ipsis castris, quam omnibus aliis suis bonis pheudalibus, ad manus eiusdem nostre curie rationabiliter devolutis.

Nos attendentes grata diuturna, et utilia servitia que patruus dicti Petrini et iam dictum ingruentibus opportunitatibus, necessitatis maxime tempore diversa, proinde laborum et sumptuum onera subeundo nobis, et spectabili quondam Carolo, duce Calabrie, nostro primogenito et vicario generali, prestitit domesticè hactenus, prestat ad presens, et speramus in antea cum laudabilius prestititurum accrevimus, gratitudine debita recensentes sua, suarumque fidelitates, et obsequiorum merita pensantes provide promptitudinis adventus dicti Guglielmi ad maiestatis nostre presentiam, propter que illum dignum beneficio, speciali nostre grate deputamus, eidemque Guglielmo, et suis heredibus utriusque sexus, ex suo corpore legitime descendentibus, natis iam et in antea nascituris, predicta Castra Sinopoli et Sancte Christine, cum casalibus, pheudatariis, hominibus, vassallis, fortelliciis, domibus, possessionibus, vinee,

olivetis, terris cultis et incultis, planis, montibus, pratis, nemoribus, pascuis, molendinis, aquis, aquarum decursibus, tenimentis, territoriis, et aliis iuribus, iurisdictionibus, redditibus, et pertinentiis suis, omnibus que de demanio in demanium, et que de servitio in servitium, pro valore annuo unciarum auri septuaginta (excepto casali Lacconie quod fuerat dicti quondam Petrini), illud que iam Sancie, Ierusalem et Sicilie regine, consorti nostre carissime, donavimus atque concessimus, cui vigore presenti donationis nolumus quomodolibet derogare, tum regia autoritate et plenitudine potestatis, quam vigore baliatus congerimus, pro parte spectabilis puelle Ioanne, ducisse Calabrie, et nepotes nostre carissime damus, donamus, et tradimus, et ex causa donationis, propriis motus instinctu, de novo concedimus in pheudum nobilem, de liberalitate mera, certa nostra scientia et gratia speciali, iuxta usum et consuetudinem regni nostri Sicilie, ac generalis et humane paterne sanctionis edictum de pheudorum successionibus infavorem comitum et baronum omnium dicti regni nostri Sicilie, et tempore felicitis adventis clare memorie regis incliti domini avi nostri in ipsum comitatus, baronias, et pheuda, ibi ex perpetua collatione tenentium, factum dudum per clare memorie dominum patrem nostrum et in parlamento celebrato Neapoli, promulgatum ita tantum quod dictus Guglielmus, et heredes eius, pro predictis castris, eorum iuribus, et pertinentiis, ut praefertur nobis, nostrisque heredibus et successoribus, servire teneantur immediate, et in capite de servitio trium militem, et dimidium ad rationem de unciis auri viginti, valoris annui pro servitio uniuscuiusque militis, quod est de usu et consuetudine dicti regni. Licet huiusque servitium duorum militum et

dimidii pro dictis castris nostre curie prestaretur, tamen pro commoditatibus communibus, volentes militaria augere servitia, que publicis expeditionibus servitiis adiciendum duximus, et addendum. Quod servitium trium militum ed dimidii predictus Guglielmus, in nostri presentia constitutus, bona, et gratuita voluntate sua, pro se et dictis suis heredibus, nobis, nostrisque in dicto regno heredibus et successoribus, facere obtulit et promisit. Ita etiam quod si qui sunt quibus predicti domini avus et pater nostri, vel nos aliqua bona possessione, et iura in dictis castris, vel in sua ipsorum tenimenta concessimus, ipsas in capite teneant prout eis concessa fore noscuntur. Nec etiam respondeatur eidem Guglielmo, et suis heredibus per barones et pheudatarios qui sunt in castris et pertinentiis supradictis, nisi de iis omnibus que intus ipsos forte tenent, aliqua eorundem quorum si qui sunt, qui servire in capite nostre Curie teneantur, in nostro demanio et dominio reserventur. Etiam nostre curie, salvis iuribus marine et lignaminum, si qua sunt et debentur in castris predictis que omnia tamquam eiusdem regii demanio, ex antiquo pertinentia, in eodem demanio volumus retinere. Animalia insuper et equitature, marescellarum, aratiarum, et massariarum nostrarum, pascua et aquam libere sumere valeant in territorio, et pertinentiis castrorum ipsorum, et si forte ipsorum castrorum tenimenta, seu pertinentie, protenderunt usque ad mare, reserventur nobis et dictis nostris heredibus, et successoribus, possessio, dominium, ius et proprietas totius litoris maritimi, et pertinentie protenduntur quam maritimam, per homines nostri demanii, volumus custodiri. Investientes dictum Guglielmum, pro se et dictis suis heredibus, per nostrum anulum, de predictis

castris cum prefatis iuribus et pertinentiis eorundem modo premissis. Ita quod, tam ipse quam dicti heredes, sui ipsa castra a nobis, nostrisque in dicto regno heredibus, successoribus perpetuo, et in capite teneant, et possideant nullumque alium preter nos heredes et successores nostros predictos superiorem, et dominum exinde recognoscant. Pro quibus quidem castris a dicto Guglielmo ligium homagium, et fidelitatis debite, recipimus iuramentum. Retentis etiam nobis, et dictis nostris heredibus, et successoribus iuramentis fidelitatis, prefatorum baronum et pheudatariorum si qui sunt ibidem, ac universorum hominum dictorum castrorum, que nobis et dictis nostris heredibus et successoribus precise contra omnem hominem prestabuntur. Quibus prefatis ipsi Guglielmus, et heredes suis, assicrabantur ab ipsis baronibus et pheudatariis, ac hominibus iudicata, usi et consuetudinem dicti regni salvis semper nobis, ac ipsis nostris heredibus et successoribus, iuramentis et fidelitatibus supradictis retentis, etiam curie nostre in castris predictis, causis criminalibus pro quibus corporalis poena mortis, vel ammissionis membrorum, aut alii debebat inferri, collectis quoque dictorum castrorum hominibus imponendis per nostram curiam que utique integraliter, et libere per ipsam curiam exigentur, moneta etiam generali que pro tempore, de mandato curie nostre videtur in regno predicto quam et non aliam omnes homines dictorum castrorum recipient et expedient. Defensis insuper que a quibuscumque personis, sub invocatione nostri nomini, hominibus dictorum castrorum imposite fuerint, et contente quarum cognitio et castigatio solum ad nostram curiam pertinebat, collationibus pretera pheudorum quaternatorum, sive gentilium, vacantium pro tempore

ibidem, sive per commissum per barones et pheudatorios dictorum castrorum crimen hereseos, aut lese maiestatis, sive pro eo quod absque legitimis heredibus, barones et pheudatarii ipsi decesserit, que utique pheuda per nos aut nostros in eodem regno heredes, et successores cuicumque voluerint inferentur. Ita terra quod predictus Guglielmus et heredes ipsius habeant in pheudis predictis, assignationem et possessionem eorum ad mandatum nostrum. Pro ipsis quibus concessa fuerint, faciendum habeantque relevium, servitium, et iura que ab illis, qui antea pheuda ipsa tenuerint, debitum nisi forsitan, dictus Guglielmus et heredes sui, a nobis et predictis nostris heredibus et successoribus pre moniti negligentes extiterint in gravando huiusmodi barones et pheudatarios, hereticos, seu ribellis. In quo utique casu et vicissim premoniti in illis gravandis negligentes extiterint dominum, ius et proprietas pheudi heretici, seu ribellis, libere ad nostrum dominum et demanium devolvantur. Salvis nihilominus servitiis curie nostre debitis, secundum usum et consuetudinem dicti regni nostri Sicilie, et omnibus quibuslibet aliis iuribus debitis curie nostre dominii ratione, de ipsis castris debentur, prout debemus ea, et habere deberemus in terris et locis aliis dicti regni ipsius, maioris dominii ratione. Salvis etiam usibus et consuetudinibus aliis dicti regni, seu iuribus curie nostre et aliis quibuscumque beneficiis, etiam cappellaniarum, et iuribus patronatus si quam sunt in iam dictis castris, ac ipsorum collationibus presentationibus nobis, et nostris predictis heredibus et successoribus reservatis. Et quia tam per recedende memorie dominum patrem nostrum, Ierusalem et Sicilie regem illustrem, quam nos expectabilem quondam Carolum ducem, nostrum

primogenitum et vicarium generalem, diversis nostris et suis benemeritis annue provisiones et redditus quam plurimi stabiliti sunt, assignandi in bonis et terris pheudalibus ad manus paternas nostras, vel dicti primogeniti et heredum nostrorum, legitime devolvende quorum aliquibus dicitur, fore concessimus, quod in eorumdem assecutionem bonorum, ceteris provisiones habentibus proferantur. Ne huiusmodi nostra concessio, seu donatio, facte de iam dictis castris, Guglielmo prefato, successivis temporibus alicuius impugnationis ostaculum, aut diminutionis incommodum sententiant, sed perpetuo valide et inconcusse permaneant, et easdem provisiones et stabilitationes factas per dictum quondam dominum patrem nostrum, nos et dictum quondam ducem, quibus suis personis cuiuscumque status, aut conditionis existant, et sub quacumque forma et expressione verborum, et pro quibus suis favorabilibus causi etiam, si potestatem haberent bonas et terras ipsas, et pheudalem auctoritatem, propria capiendi et tenendi in eorum investitura, vim et efficaciam vere traditionis obtinere deberet, quoad presentis nostre donationis et concessionis obstaculum, de ipsa certa scientia, nulla et vacuas, esse decernimus, ac nullius existere efficacie, seu vigoris, ac eorum privilegia et executorias Litteras nolumus, huic nostro privilegio refragari quomodolibet, sed etiam si de verbo ad verbum esset, in presentis privilegiis erit particularis et expressa mentio facienda. Volumus autem, quod Guglielmus idem procuret, cum solertia debita et instanti, quod infra mensem unum, ad tardius, a die sexte presentium, in antea computandum, presens privilegium nostrum in quaternionibus nostre camere, penes thesaurarios nostros transcribi, et adnotari faciat, ut tempore quo in regno

precipitur militare servitium eundem Guglielmum, prefatosque suos heredes tamquam novos dictorum castrorum possessores, et dominos prefatique servitii debitores in quaternionibus ipsis manualiter, et habiliter reperiri contingat. Alioquin huiusmodi nostre donatio, atque concessio nullius momenti, vel roboris, censeatur.

1

2

3

In cuius rei fidem et perpetuam memoriam dictorum Gulielmii, heredumque suorum cauthelam, presens privilegium exinde fieri et pendenti maiestatis nostre sigillo iussimus communiri. Actum Neapoli presentibus venerabili patrem, fratre Hugone Episcopo Suessano, confessore nobili viro Gufrido Gaetano fundorum Comite, et Thomasio Manselli de Salerno magne nostre curie magistro rationali, dilectus consiliariis, familiaribus et fidelibus nostris, et quam pluribus aliis. Datum vero ibidem per manus venerabilis patris Ingeraimo archiepiscopo capuano cancellarii, et Ioannis Grilli de Salerno iuris civilis professoris, viceprothonotarii regni Sicilie. Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo tertio, die septimo septembris, secunde inditionis, Regnorum nostrorum anno vigesimo quinto feliciter amen. Nicolaus Serranus registrata penes prothonotarum; registrata in cancellaria; registrata in camera; registrata in curia reginali; Adest sigillum.

D'altra mano

D'altra mano

Aggiunta postuma al testo della copia.

10

4

D'altra mano.